

DE

CALLORVM
 CIRCA VLCERA
 ORTV EFFECTV PRAESERVATIONE
 ET CVRATIONE.

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. ADAMO NIETZKI

PRAECEPTORE SVO LONGE HONORATISSIMO

DIE XI MARTII MDCCCLXII.

IN REGIA FRIDERICIANA

H. L. Q. S.

PVBLCICE DISSERET

A D O U V E N

NORDA FRISO ORIENTALIS.

HALAE AD SALAM

STANNO SCHNEIDERIANO.



DE

CALLORYAM
CIRCA VLSERA
ORTV EFFECTV PRAESERVATIONE
ET CVRATIONE.

FRASIDE
VRO EXCITENTISSIMO AMBRASMO EXPERTISSIMO
DOMINO

D. ADAMO NIETZK
PRAECEPTORIS SVO LONGE HONORATISSIMO
SIC A MARTIN CLAUDE LAM

IN REGIA FRIDERICIANA

PUBLICA DISSENT

AD OUVRI

NOBIS REISSO ORIENTALIS

HALLAE AD SALLAM

STANNO SCHNEIDERMANO



V I R O

ILLVSTRI. EXCELLENTISSIMO. EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

D. IO. FRIDERICO
MECKELIO

COLLEGII. MED. CHIRVRG. PROFESSORI

PRIMARIO. ANATOMIAE. PHYS. ET. ARTIS

OBSTETR. - ILLVSTRISSIMAE. ACADEM

SCIENTIARVM. REG. BEROLIN. MEMBRO

DIGNISSIMO



V I R O

ERVDITIONIS. GLORIA

MERITORVM. IN. BONVM. PVBLICVM. GRAVITATE

ADMODYM. CONSPICVO

OPTIMO. MAXIMO

HONORIS. TESTIFICANDI. CAVSSA

HOC

DOCTRINAE. ACADEMICAЕ. SPECIMEN. PVBLICVM. CONSECRAT

ET. IAM

EX. VETERI. ILLA. FORMVLA. ROMANORVM

D. D. D

OBSEQVIOSISSIMVS. CVLTOR

A D O. U V E N

NORDA. FRISO. ORIENTALIS

HALAE. MAGDEB. CAL. MART. A. O. R. clō Io cc LXII.

DE
DISSERTATIO ACADEMICA
DE
CALLORVM
CIRCA VLCERA
ORTV EFFECTV PRAESERVATIONE
ET CVRATIONE.

§. I.

Tyranni sunt illi medici, qui absque ratione sibi credendum esse volunt; ita sentiente GALENO *libr. 2. method. med. cap. 5.* Et profecto! si vlla alia in disciplina studendum est, vt, quae ibidem traduntur, recte cohaereant cum principiis certis atque indubitatis, id vel maxime in Medicina efficiendum foret; vtpote cuius errores tantum nocent vitae humanae, quantum huic conservandae inferuiunt illius veritates. Conabimur itaque hanc grauem animaduersionem GALENI subterfugere, argumenti, ad disputandum nunc selecti, pertractationem euentibus quibusdam principiis superstructuri.

§. II.

Inter plures alias mutationes, quibus partes solidae corporis humani obtemperare deprehenduntur, illae sine dubio ad casus in vita humana frequenter obuios pertinebunt, quando earum continuum soluitur. Si in primis ista continui solutio in partibus mollibus & flexilibus ita oboritur, vt nulla ibidem superficies cruenta appareat: *ulcus* tunc prognatum esse dicitur; in oppositione ad *vulnus*.

§. III.

Ilius diuisio.

Humidum, quod in vlceris cavitatem confluit, vel adhuc integrum erit atque omnis corruptionis expers; vel iam deprauatum variæque labe infectum. In casu priori *vlcus erit simplex*; in casu vero posteriori *compositum*, siue *qualificatum*, vel etiam *putridum*.

§. IV.

Quid calli vlcerum sint?

Obseruare porro licet, vlcerum labia, siue margines sæpius indurescere. Hoc quando fit, tunc *calli* circa vlcera adesse, atque hæc ideo *callosa* facta esse dicuntur.

§. V.

Illorum ortus ex fluidis coaceruatis.

Fluidis ad vlcerum labia supra modum coaceruatis, succedente tempore calli ibidem generantur. Ob nimiam enim fluidorum in parte quadam solida, molli & flexili coaceruationem, illa valde distenditur, debilitatur, indeque tandem efficitur, vt fluida ob sui longiorem moram ibidem magis spissescant, immo etiam ad solidorum naturam prorsus accedant (per princip. Patholog.). Sed tunc omnino neceffe erit, vt vlcerum labia dura fiant, vel quod perinde est, calli ibidem generentur (§. anteced.).

Quo igitur modo calli conuenient cum scirrhorum ortu. Nec raro callos circa vlcera ita fieri, obseruatio docuit. Explicatius id iam tradent sequentia.

§. VI.

Confectarium.

Vbi inflammatio suboritur, ibi sanguinis quoque coaceruationes fiunt; id docente Pathologia. Sed eadem præceptrice porro constat, fieri posse, vt inflammatio in scirrhum transeat. Hinc neceffe erit, vt *inflammationes, ad vlcerum labia productæ, numerum causarum subeant, vnde calli oriuntur* (§. anteced.).

§. VII.

§. VII.

Vlcerum compositorum (§. III.) materia admodum rodentis ^{Confecta-}
 effectus esse deprehenditur (per princip. Patholog.). Quando igitur
 eiusmodi vlcerum conueniens mundificatio negligitur: tunc haec
 ipsa materia et quantitate, et praua sui indole magis augebitur, vl-
 ceris margines inquinatura, atque ad eosdem rōsione sua maiorem
 humorum affluxum determinatura (per princip. Patholog.). Quare
 etiam *vicio vlcerum*, illorum praecipue mundificatione sufficiente
 postposita, *callorum ortus perquam faciliis erit* (§§. V. et VI.).

§. VIII.

Haud raro etiam contingere solet, teste experientia, vt loca ^{Confecta-}
 exulcerata adeo pruriant, vt aeger hunc sensum sibi incommodum le-
 niturus scalptionem suscipiat, atque hoc modo non mediocriter au-
 geat humorum quantitatem in locis affectis (per princip. Patholog.).
Huic igitur vicio aegri callorum circa vlcera prouentus saepe
tribuendus erit (§. §. V. & VI.).

§. IX.

Pleraque remedia, quae vlcerum mundificandorum causa ^{Confecta-}
 nostro quoque tempore adhiberi solent, acria sunt, tantaque virtu-
 te irritandi pollent, vt inde humorum ad vlcera copiosus fiat con-
 fluxus. Exemplo hic inter alia esse possunt essentiae balsamicae,
 spirituosae. Quapropter *incautus huius generis remediorum vsus ad*
callos vlcerum efficiendos multum sine dubio conferet (§. §. V. et VI.).

§. X.

Solet quandoquidem fieri, vt ad sensum ardoris circa vl- ^{Confecta-}
 cera imminuendum, vtpote aegris maxime incommodum, chirur-
 gi

gi applicent pinguia. Quorsum pertinent variae linimentorum et vnguentorum compositiones. Quoniam vero ope pinguium partes solidae relaxantur: non poterit non fibris partium exulceratarum inde tanta inferri debilitas, vt illarum robore destructo, fluida ibidem restagnent, coaceruentur, spissa fiant, magis magisque solidescant (per princip. Patholog.). *Neque ergo istud remediorum genus, improvide usurpatum, e causis callorum circa vlcera excludendum erit* (§. §. V. et VI.).

§. XI.

Quando
compressio-
nes callos
producant?

*Quod si etiam vlcera labia nimis diuturnisque compressi-
onibus subiiciuntur: ibidem tunc facile oriri poterunt calli.* Nam eiusmodi compressionibus partium efficitur, vt fluida restagnent, vasa concrecant, fibrarum massa in arctius volumen coacta, ad partes exulceratas durities tandem proueniat, siue vlcerae callus (§. IV.).

§. XII.

Confecta-
rium,

*Quo igitur nomine aegro nocebunt turundae nimium contor-
tae atque vi quadam vlcibus impactae, aut fasciarum ad partes
exulceratas arctae applicationes* (§. anteced.).

§. XIII.

An ex con-
strictione
fibrarum
calli?

*Facta fibrarum ad partes exulceratas nimia constrictione,
vlcerae calli determinari poterunt.* Ex pathologicis constat, ni-
miarum in fibris constrictionum effectus cum illis congruere, qui
a validis perseuerantibusque partium compressionibus proficisci so-
lent. Non poterit ideoque fieri, quin etiam nimiae constrictiones
in partibus exulceratis productae callos efficiant, quos iam a com-
pressio-

pressionibus oriri posse, supra euietum erat (§. XI.). Quamobrem de veritate propositionis iam satis constabit.

§. XIV.

Ex §. anteced. liquida iam erit ratio, *quare largiorem vsum* Confectarium. *remediorum stypticorum, ad loca exulcerata adhibitorum, calli tandem subsequi soleant?*

§. XV.

Ex eodem quoque fundamento vterius conficitur, *quod* Confectarium. *idem producere valeat frigus externum, ad partes in primis sensiles exulceratas admissum;* siquidem nullum dubium est de frigoris vi constringente.

§. XVI.

Differuimus hucusque de callorum circa vlcera ortu ex principiis admodum congruis, quibus alia ad conuincendum magis idonea existere nequeunt. In doctrinis enim medicis nihil cum veritate conuenit, quod experientiae repugnat. Quantum vero cum obseruationibus consentiant singula, quae de originibus callorum ad vlcera a nobis iam disputata sunt: illi hac in re assensum suum nobis facile praebebunt, qui experientiam, fidissimam illam veritatis magistram, sibi reddiderunt familiarissimam. Atque hi simul perspicient, nihil a nobis in doctrina ista esse praetermissum, quod non sufficeret recte applicaturo haec principia ad distincte explicandum calli ortum in casu obuiio; habita praesertim ratione momentorum sequentium. Praecipit nimirum Pathologia, fieri saepe numero, vt ad vnum morbum, vel huius effectum aliquem, plures causae simul concurrant. Quo facto, necesse tunc erit, vt eiusmodi

dī morbus, vel eius effectus, et citius producat, et productus grauior fiat. Idem quoque circa vlcera callos obtinebit. Si enim in corpore aegrotantis spissitudo humorum iam inualuit; si iam tota fluidorum massa corrupta est: tunc multo promtior callorum ad vlcera erit productio; obortis similibus illis conditionibus, quae in peculiaribus §. §. supra propositae sunt. In exemplum hic veniunt venerei, scorbutici, scabie infecti, atque huius notae miseri alii, in quibus, teste experientia, vlcera callosa frequentissime nascuntur. Sed iam deueniendum erit ad effectuum quoque perspicuam explanationem, qui ab vlcera callis in perniciem corporis redundant.

§. XVII.

Observatio. Calli vlcera, semel orti, de tempore in tempus magis increfcunt, saepiusque tantam magnitudinem nancisci obseruantur, vt inde aditus ad vlcera cauitatem praecludatur.

§. XVIII.

Vlcera mutatio a callo qualis?

Ob calli incrementum circa vlcus simplex, hoc in compositum degenerare poterit. Partibus flexibilibus corporis humani ad rigiditatem perductis, transpiratio ibidem impediatur, oportet (per princip. Patholog.). Sed his iam aequipollebunt loca vlcera callosa (§. IV.). Vnde necessum erit, vt materia transpirabilis magis ad cauum vlcera ruat, ibidemque coaceruetur. Quorsum adhuc accedit, quod, vlcera callo increfcente, materiae vlcerosae effluxus intercipiatur (§. anteced.). Qua de re opus erit, vt aucta in cauo vlcera colluie, haec ob sui moram ibidem facile putrescat. Quod quando contingit, vlcus tunc compositum (§. III.) suboritur, idque ob calli incrementum ex simplice natum.

§. XIX.

§. XIX.

Subortis iraque callis ad ulcera iam composita, haec gra Confecta-
rium.
du putredinis multo magis increfcant, neceffe erit (§. anteced.).

§. XX.

Saepeius accidere folet, vt intra latera vlceris, vel intra Quid vlcus
finuofum
er fistulo-
fum?
fpacium, quod illius cauo abfoluitur, aliae adhuc cauitates reperian-
tur. Nafcitur inde noçio *ulceris finuofi*, quod porro ob calli prae-
fentiam *fiftuloſum* nuncupatur, ſiue etiam *fiftula*.

Poterunt adeoque vlcera ſinuofa concipi inſtar plurimum
aliorum vlcerum, a cauo primario vlceris diſtinctorum, in
hoc tamen contentorum. Eadem quoque ratione ſe habere
poceſt cum callis fiſtularum.

§. XXI.

Calli vlcerum efficere poterunt, vt haec fiant ſinuofa, fi- Callorum
ratio ad hoc
vlcerum
genus.
ſtufoſa. Vlcus enim ſimplex in compositum tranſit, atque hoc
quoad prauam ſuam indolem maiora ſincrementa capit ob callorum
praefentiam (§. §. XVIII et XIX). Nihil itaque impedi-
et, quo minus materia vlceroſa, intra vlceris cauum haerens, ad eius latera
vi ſua ſolvente nouas cauitates perficiat, atque inde vlcus ſinuofum
producat (§. anteced.). Sed quia hic ſimul calli adefſe ſupponun-
tur, qui ſe adhuc vterius extendere poſſunt (§. XVII.): non erit,
cur de fiſtularum exiſtentia hoc quoque loco dubites (§. anteced.)?

§. XXII.

Quum vlcerum ſimplicium in composita tranſitum ſaepeius Quid vlc-
erius inde
ſequatur.
promoueat calli (§. XVIII.), adeo, vt inde ſinus et fiſtulae in locis
affectis naſcantur (§. ant.): *neque etiam obſtabit, quo minus vlceris*

materia putrida ad ossa penetret, haec, tamquam partes putrefactionis aequae compotes, in putredinem rapiat; consequenter cariem illis inducat.

§. XXIII.

Vlcerum
calloforum
ratio ad
consolidationem.

Vlcerum calli impediunt, quo minus illa tam facile consolidentur. Ad vlcerum enim consolidationem requiritur, vt in illorum cauo caro pura generetur, illorumque labia inter se concresecant (per princip. Therap.). Neutrum vero hic fieri poterit, idque ideo, quia vlcerum calloforum materia ob sui prauam indolem (§. §. XVIII, XIX, XXI et XXII) ortui carnis purae resistit; atque illorum labia, quia dura sunt, aegre concresecant, et si etiam concreuisse videantur, mox denuo soluentur, malitia humoris, ibidem haerentis (per princip. Patholog.). Ex quibus itaque apparet, quanto impedimento consolidationi sint vlcerum calli, iuxta illorum oras suborti.

§. XXIV.

Scholion
generale.

Tantum hactenus dictum iam esse videtur de effectibus callorum circa vlcera, quantum requiritur, vt facili quis ratiocinio reliqua incommoda aegri inde deducere possit. Sed ne hic quidem negligenda sunt illa momenta, quae in aegrotantibus concurrunt, atque haud exiguam vim habent, ad morbos, cum effectibus suis in casu obuios, modo augendos, modo imminuendos. Huc igitur respiciendum erit ad loca corporis exulcerata, situ, nexu cum aliis partibus, sensibilitate, aliisque qualitatibus inter se diuersa. Neque minus praeteruidere licebit differentes malignitatis gradus in materia vlcerum. Tandemque huius loci esse oportebit, ad aegrotantis regimen vitae, atque ad alias, quae illius corpori insunt,

sunt, determinationes animum dirigere. Haec enim omnia accomodatissima erunt; rite iam euolutis generalioribus, ad id quoque intelligendum, quid pro ratione casus ab ulcerum callis porro extimescendum sit. Passim in haec omnia consentiunt obseruationes. Ad practicam ideoque argumenti tractationem nunc progrediendum erit; illius parte theoretica iam absoluta.

§. XXV.

Qui efficere conatur, ne calli circa vlcera oboriantur, illum oportebit mali huius causas singulas perspectas habere; harum vnā ab altera dignoscere posse; tandemque remediorum, malo praecauendo opponendorum, cognitione congrua imbutum esse. Calli ulcerum considerandi sunt tamquam effectus, a causis variis proficiscentes (§. §. V vsque ad XVI). Qui vero effectum aliquem praecauere vult, ille eius causas impediatur, atque vt idem recte perficiatur, easdem habeat perspectas, necesse erit. Causae ideoque singulae callorum circa vlcera hoc in negotio esse debent cognitae. Quoniam etiam ob varietatem causarum, ad callorum circa vlcera productionem concurrentium, vnum remedium prae altero magis respondebit causis istis praecoccupandis: sequitur, opus hic esse, vt partim de discrimine causarum, partim de remediorum qualitatibus rite constet. Alias enim concedendum erit, callorum ad vlcerum ortum in quouis casu semper ab vna causa dependere, atque perinde esse, quo remedio illi praeuertatur; sed neutrum conueniet cum vero. Quare iam de singulis in propositione momenti dubitari non poterit.

Callorum,
praeserua-
tio cui fun-
damento
innitatur.

Maiores euidentiæ causa demonſtrauimus propoſitionem, quam nobis ſine demonſtratione in exercitio artis verſantes eo lubentius concedent, quo magis illius veritas per exempla patet. Habeat nimirum aliquis hanc de cauſis callorum ad vlcera ſententiam, quod illi ſolum proueniant a corruptione materie vlcerofæ. Quid ille tunc faciet, callum impediturus? Applicabit ad vlcus balſamica, vt huius materiam putridam corrigat. Ignoratis vero non ſolum cauſis aliis mali præcauendi, ſed etiam remediorum qualitatibus, ipſi aequè proficuum fore videbitur, ſi largiter adhibeat ſpirituosa, modo ſint balſamica. Sed quocum effectu? Hoc nimirum modo valde irritatis partibus exulceratis, ad eaſdem humores copioſius affluunt, inflammatio accenditur, callus præter expectationem citius fit. Ex exemplo prolato ſatis iam conſpicuum eſſe videtur, quantum cauſarum et remediorum ignorantia calli ad vlcera accelerentur. Hic enim omitti debuiffent balſamica ſpirituosa, aut ſaltem circumſpectius adhiberi ad vlcera ideo mundificanda, vt calli ibidem præcauerentur. Sine dubio hoc etiam factum eſſet, ſi modo conſtitiffet de remedii applicati virtute ſupra modum irritante, huiusque ratione ad cauſam callorum. Cauſas enim ibi decenter præuenire competit, vbi effectus quofdam, ab illarum varietate pendentes, præcauere molimur. Irritus alias labor omnis erit, pluribus cauſis in locum vnius redeuntibus. Vt itaque de procedendi ratione finibus iſtis accommodatiſſima magis conſtare videatur: haud incongruum erit, propoſitioni, generatim demonſtratae, ſequentia addere conſectaria.

§. XXVI.

Ex §. nimirum anteced. manifeſto conſequitur, *praerſeruationem callorum circa vlcera poſtulare, vt illorum cauſæ eo modo præeripiantur, ne harum vna prærepta, altera inducatur.*

§. XXVII.

§. XXVII.

Qua de causſa neceſſe iam erit, *vt nimis ad loca exulcerata humorum congeſtionibus diligenter praeuertatur* (§. §. V et XXVI). Vnde porro ex ſuperioribus conſpicuum erit, opus hic fore, vt a locis affectis inflammatio arceatur, vel iam ibidem praefens mature diſcutiatur (§. VI); vt vlceris materia remedijs blandis, ſenſum potius lenientibus corrigatur (§. §. VII et IX); vt cauſae arbitrariae, vi irritandi pollentes, ab aegro euitentur, nec pingua tam liberaliter ad vlcera applicentur (§. §. VIII et X).

§. XXVIII.

In eodem negotio recte expediendo, *cauendum* quoque erit, *ne vlcerum labia ſupra modum comprimantur* (§. §. XI et XXVI). Quo igitur nomine turundarum et faſciarum iuſta habenda erit ratio (§. XII).

§. XXIX.

Neque minus *hic praecauendae erunt validiores fibrarum ad loca laeſa conſtrictiones* (§. §. XIII et XXVI). Stypticorum ideoque remediorum uſum ad vlcera cautiorem eſſe, atque a frigore externo partes laeſas ſatis defendere oportebit (§. §. XIV et XV).

§. XXX.

Quum denique ex §. XVI intelligere liceat, callos circa vlcera citius generari, nec non grauiores fieri, accedentibus cauſis quibuſdam generalioribus ad propoſitos caſus illos ſpeciales, vel his ſimiles alios: *nullum erit dubium, quin etiam in praefervatione callorum:*

callorum ad causas istas communes respiciendum sit. Quapropter praesentibus humorum spissitudine, cacochymia, illorum resolutione et correctione quacunque congrua opus erit. Et si quae aliae eiusdem indolis causae concurrunt, his quoque modo determinato obuiam eundum erit; *sed ubique seruata lege illa, quam proponit §. XXVI.*

§. XXXI.

Curationis
fundamen-
tum circa
vulcerum
callos.

Sanaturus vero vlcerum callos, hos ita remouere debet, ne vix sublatis mox iterum oriantur; remedio forte incongruo ad illorum extirpationem prius adhibito. In genere enim postulat Therapia, vt morbi vel prorsus tollantur, cum perennantis sanitatis reditu, vel saltem imminuantur, si prius fieri nequeat, vt aegrotantium vita longius conseruetur. Nullum igitur dubium est, quin idem quoque obseruare competat circa vlcerum callos sanandos. Quos si vero per remedia extirpare vellet artifex, quae illorum nouae productioni admodum respondent: ille tunc peccaret contra prima principia sanioris Therapiae. Ex quibus iam satis patebit propositionis veritas.

Quod eiusmodi quid non numquam hic obtingat, id ex sequentibus apparebit, vbi de remediis quibusdam dicendum erit, quae artificibus, callos vlcerum curaturis, in vsu esse solent. Cognoscere inde simul licebit, quanta saepius circumspectione opus sit circa illorum applicationem, vt recte fiant exceptiones, hic ob ortum collisionum necessariae.

§. XXXII.

§. XXXII.

Dantur remedia septica, siue corpora quaedam salina, quae ^{Confectarium.} partibus solidis corporis humani applicata, illas solvunt, prorsusque destruere possunt. Loquendum nunc erit explicatius de vſitationibus istis remediis. Sunt nempe illorum quaedam ad salium acidorum, quaedam vero ad alcalinorum familiam referenda. Subeunt itaque numerum salium acidorum vitriolum veneris, alumen vſtum et lapis infernalis. Duo priora remedia mitius agunt, ob acidum vitriolicum, quod ipsis adhuc inest dilutum; tertium vero remedium, quia nihil aliud est, quam acidum nitri concentratum, quod calci lunae adhaeret, longe potentius aggreditur partes solidas. Salibus denique alcalicis accensenda sunt alcali quoduis causticum, et septicum Sutorianum. Primum horum corporum perquam vehementer, mitius secundum operatur. Quoniam itaque curatio callorum circa vlcera illorum ablationem postulat (§. anteced.); huncque effectum remedia septica praestant: *quin istud quoque remedium genus hic adhiberi possit, non est, cur dubites.*

§. XXXIII.

Sed et vſionis vel excissionis operatione partes solidae ^{Confectarium.} corporis humani remouentur. Hinc *eodem quoque modo vlcera calli remoueri poterunt; ad quos extirpandos in illorum curatione attenditur (§. XXXI).*

§. XXXIV.

Vnguenta digestiua, illa praecipue, quorum compositionem, ^{Confectarium.} praeter solita miscibilia, crocus martis tenerrimus atque insipidus ingreditur, applicata partibus solidis, earum in primis scarificatione

leni praemissa, suppurationem ibidem concitant; qua suborta fieri poterit, vt sub eius continuatione partes solidae sensim sensimque resolutae, plane destruantur. *Calli ideoque ulcerum per suppurationem remoueri, atque hoc modo curari poterunt* (§. XXXI).

§. XXXV.

Confectarium.

Quamuis quidem remediis istis calli ulcerum extirpari possunt (§. §. XXXII, XXXIII et XXXIV): non ideo tamen curationis felix euentus semper expectandus erit. Nam ad callorum curationem perfectam requiritur, vt illi ita remoueantur, ne eorum nouus ortus denuo determinetur (§. XXXI). Hoc vero efficere poterunt remedia, modo enarrata. Septica enim irritant, affluxum humorum in partibus, ad quas applicantur, augent; idque eo magis, quo potentiora illa fuerint, vel loca affecta magis sensibilia. Similis quidem, lenioris tamen efficaciae erit vstionis vel excissionis operatio, conuenienter absoluta. Ex his tandem modis tollendi vlcereum callos, ille erit mitissimus, qui per suppurationem fit; tantum vero abest, vt hic prorsus deficiat humor affluxus, vt potius iusto auctior tunc fiat, quando praesertim scarificatio in parte suppuranda impetuose instituitur. Quoniam vero ex nimia fluidorum ad loca exulcerata coacervatione, calli ibidem generantur (§. V): his igitur remediis ad callorum extirpationem promiscue adhibitis, illorum noua productio determinari poterit. Quod iam repugnabit §. XXXI. Ex quibus adeoque elucescit, *saepe necessariam hic oboriri posse collisionem.*

§. XXXVI.

Ergo circa *ulcerum callos persanandos abortae collisiones* Confect-
rium. (§. anteced.), *neccessario postulabunt exceptiones, quae iam ad re-
gulam pertinebunt, cui conuenienter curatio ista instituenda erit.*

§. XXXVII.

Cognoscere autem licet ex §. XXXV, quod in eo iam sita Confect-
rium. fit harum collisionum ratio, quia remedia ibidem proposita ad euellendos *ulcerum callos*, horum nouo ortui ansam praebent, ob affluxum humorum ineuitabilem. Hinc vel alia excogitanda erunt remedia, quae *ulcerum callos* destruere valeant sine humorum affluxus concitatione; vel alia simul in subsidium vocanda, quae remedii remouendorum callorum causa adhibitis ideo interponuntur, vt productus humorum affluxus, iterum dispellatur. Prius fieri non poterit; posterius ergo valebit. Regula ideoque ab iis obseruanda, qui callorum ad *ulcera* curationem rationi conformiter suscipiunt, sequentem in modum se iam habebit. *Quocunque etiam modo vti decreueris* (§. §. XXXII, XXXIII et XXXIV), *ad ulcerum callos exstirpandos*, (conueniet tamen hic respectum habere ad vim remedii, et sensibilitatem tam aegri, quam locorum affectorum): *te semper oportebit istis remediis addere ea, quae loca exulcerata a nimio humorum affluxu defendere valent.* Qua igitur ratione id iam perfici debeat, id e Therapiae fontibus hauriendum erit. Hoc nimirum nomine vtilia erunt remedia discutientia, circa ambitum *ulceris* applicanda; blande diaphoretica, ad aequalem humorum distributionem producendam aptissima; deriuantia humores ad pla-
gas

gas alias corporis, quorū pertinent frictions, euacuationes; atque complura alia remediorum genera, istis finibus accommodata.

§. XXXVIII.

Confecta-
rium.

Quum vlcerum calli ita sint curandi, ne denuo redeant (§. XXXI); illorumque noua productio vitio materiae vlcerosae tribui possit (§. VII): sequitur, vt, *destructis callis, materia vlceris eo, quo par est, modo corrigatur* (§. §. XXVI et XXXI). Hinc vsum balsamicorum spirituoforum circumspectum esse oportebit (§. IX).

§. XXXIX.

Confecta-
rium.

Simili porro ratione hic quoque colligitur: *prospiciendum scilicet esse, ne vlceris labia nimium comprimantur, fasciis arctius adductis* (§. §. XI, XII et XXXI); quod vt plurimum fieri solet, imminente consolidationis tempore.

§. XL.

Scholion
generale.

Satisfacere haec iam videntur instituto nostro, quae de argumenti parte practica in peculiaribus §. §. prolata sunt. Generalia haec quidem sunt, huius tamen conditionis, vt plura alia, eaque specialiora, inde eo facilius quilibet deducere possit, quo rectius Pathologiae et Therapiae doctrina imbutus fuerit. Singulis itaque argumenti momentis, ad disputandum selecti, nunc iam expeditis, dissertationi huic finem addere licebit.





01 A 6602

ULB Halle
002 932 512

3







DE
CALLORVM
CIRCA VLCERA
ORTV EFFECTV PRAESERVATIONE
ET CVRATIONE.

—
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ADAMO NIETZK
PRAECEPTORE SVO LONGE HONORATISSIMO
DIE XI MARTII MDCC LXII,

IN REGIA FRIDERICIANA
H. L. Q. S.
PVBLCICE DISSERTET
A D O U V E N
NORDA FRISO ORIENTALIS.

—
HALAE AD SALAM
STANNO SCHNEIDERIANO.